
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
13 B
45


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
13
B
45

BVLLA
S.D.N. PII PAPAE V.
APPLICATIONIS FABRICAE MEDIETATIS RELICTORVM piorum non exactorum per triennium.







R O M AE
Apud Hæredes Antonij Bladij impressores Camerales.
Anno. M. D. LXX.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.



Xigit incumbentis nobis apostolicae seruitutis officium ut Fabricae nostrae Basilicae sancti Petri utilitati prospicere satagentes, ea libenter ipsi concedamus quae eius utilitati credimus expedire, Hinc est quod nos qui nuper accepimus quod tam in alma Vrbe nostra quã alijs Ciuitatibus, terris, dominijs, locis, ac Regnis, reperiuntur multa legata a pijs testatoribus facta ad effectum celebrationis missarum, & recitationis diuinorum officiorum necnon erogationis eleemosynarum diuersis Ecclesiis, Monasterys, Hospitalibus, & alijs pijs locis, ipsaq; legata hæredum auaritia seu alias per Triennium retroactũ executioni debitæ demandata non fuerint, uolentesq; tam super præmissis, ea quæ conueniunt adhibere remedia, quam Fabricæ præfatæ utilitatem aliqua ex parte procurare, ac dilectos filios Deputatos et Collegium Fabricæ huiusmodi, eorumque singulares personas a quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis a iure uel ab homine quauis occasione uel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes et absolutos fore censentes, Motu proprio, non ad ipsorum Deputatorum, & Collegij, uel alicuius eorum, aut pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine Deputatis, & Collegio huiusmodi si, & postquam iuxta tenorem priuilegiorum, & facultatum sibi concessorum legata huiusmodi executioni debitæ demandari fecerint, unam illo

rum

ram mediatatem, reliquam uero loco cui legata fuerint applica-
mus & appropriamus. Decernentes præsentes literas nullo un-
quam tempore de subreptionis, uel obreptionis uitio, aut intentio-
nis nostræ, uel quopiam alio defectu notari, impugnari, aut inuali-
dari, etiam ex eo capite quod interesse habentes uocati non fue-
rint, aut ad iuris terminos reduci, minusque in ius uel controuer-
siã uocari posse, sed semper ualidas et efficaces existere, suosque
plenarios effectus sortiri, minusque sub quibusuis similium, uel dissi-
milium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus,
& derogationibus comprehendi ullatenus posse, sed semper ab
illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum sta
tum restitutas esse, & censeri. Sicque per quoscunque Iudices, &
Commissarios quauis auctoritate fungentes etiã causarum Pala
tij apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuilibet quauis ali
ter iudicãdi facultate, iudicari debere. Irritum quoque, et inane si
secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, uel ignoran
ter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, et quibusuis
apostolicis, necnon in prouincialibus & synodalibus Concilijs edi
tis specialibus uel generalibus constitutionibus, et ordinationibus,
ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione apostolica, uel qua
uis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuile
gijs quoque indultis & literis apostolicis quibusuis personis in ge
nere, uel in specie quomodolibet concessis, confirmatis, & inno
uatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus
specialis, specifica, expressa, et indiuidua mentio habenda foret,
tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs
in suo robore permansuris, hac uice duntaxat specialiter, & ex-
presse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus
autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu Se

cretarij,

cretarij, & sigillo Collegij præfatæ Fabricæ subscriptis, et muniti, eadem prorsus in iudicio, & extra fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, uel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, applicationis, appropriationis, decreti, derogationis, & uoluntatis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Vndecimo Kal. Ianuarij. Pont. nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius.

C. Rouyer.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.





Claude Rouyer secret.

220664

